

fingere potest, nec discursu vel falso imaginari. si enim Natura triginta
 dies, vel plures laborans vix efficere hæc potuit, quomodo anima in in-
 stanti, vel quæuis alia forma hæc faciet? & profectò si tantam habet po-
 tentiam, & semper acquirit maiorem, quia maius acquirit super mate-
 riam dominium, tunc quando pars corporis destrueretur, vel demeretur
 os, vel quippiam aliud, illud statim cõsolidare posset, sic & morbos om-
 nes repellere, quod enim in instanti efficit hæc magna, potentiam in fini-
 tam habet, vel infinitè propinquam, vt in 8. phyls. dicunt Peripatetici.
 Præterea quando forma vnitur nudæ materiæ, quantitas consequens
 materiam, & ea quæ sequuntur, vnde veniunt, non quidè à materia, quia
 ipsa non est quanta, & tunc amittit, quam habebat, quantitatem; nec à
 forma, quia ipsa non est corporea apud illos, nec quanta, non quantum
 autem non dat quantum. Igitur non est alia fictio. dicatur ergò materia
 esse corpus, sicut videmus. Dicitur forsan, quòd è potentia materiæ edu-
 citur illa quantitas ab agente, qui & formam educit. Et hoc figmentum
 est, nam sequeretur, quòd ex non corpore fieret corpus, vt benè Auerr.
 arguit in de substantia orbis. Item quando anima vnitur non est agens,
 quod educat de sinu materiæ. Pater enim solum semen dedit Aristoteli,
 quod est inanime ipsi, non nobis, quod si corrumpitur in vnione animæ,
 quam semen ipsum educit, igitur quod sequitur ad animam, non pro-
 creat; Item enim sequeretur, quòd illa quantitas crearetur, siuè educatur
 ab anima, siuè ab agente, nam creatio, ait Auerr. in 12. metaph. est factio
 rei nulla eius parte præsupposita, at nunc non præsupponitur pars quan-
 titatis in materia, quia anima, ad quam sequitur, non est quanta, & quan-
 titas, quæ erat in materia, totaliter corrupta fuit, vt aiunt, igitur ex nihilo
 fit quantum, & hæc ratio probat, de sinu materiæ non educi formam. nam,
 vt in sequenti fiet notum sermone, falsissima est sententia, qua omnia ex
 sinu materiæ educi volunt. Item Aristoteli omnia entia fiunt ex quatuor
 elementis non corruptis, igitur forma mixti vnitur materiæ corporeæ, &
 habenti elementarem formam, nam inseparabilis est, ait, à contrarietati-
 bus, & quòd non fiat corruptio, & resolutio patuit in 1. de gen. t. 84. &
 90. item quando generatur vnum elemētum ex alio, remanet Symbolum
 in ipsum habentibus, ergò & corporeitas. nec fingēdo respondeant, nam
 dum ex aqua fit fumus, vel aer manifestè eadem corporeitas est in vtro-
 que, nisi quòd hic expansa, ibi angustiat. & animam actum corporis vo-
 cauit Arist. non materiæ, eo quòd corpori vnatur organico. & anima,
 vt anima est forma, & vt sic, informat corpus, non ergò aliam materiam.
 Ex his manifestissimum esse relinquitur volentibus veritatem scire, non
 hominum positiones tueri, quòd materia corpus est, & quòd est nihil,
 id quod dicunt materiam primam, quod confessus est Auerr. & quòd ir-
 rationabilior est sententia dicentium materiam non esse corpus, & ha-
 bere actum entitatum; materia enim corpus vbiq; apparet, nec aliud

com. 18.

2. de gen. t. 6